Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1841

Quelle:
Copyright:

gus noſter adductis rationibus improbat, *ſal infatuatum* adpellat, neque ſatis graviter addit, expedire, *vt foras proiciatur et a porcis ſanctum Anthonium uexantibus conculcetur.* Culpandus ipſemet in eo, quod paſſim urget, Defunctos illico a morte terrae mandandos eſſe.

Fol. 9. deciditur alia Quaeſtio: *Solet dominus Preceptor ordinis Sancti Anthonij Et rector eccleſie ſancti martini in memingen Singulis annis in XL^a^. aliquando in die cene domini, aliquando parum ante populo ſuo tale preceptum probibitorium facere: Nullus veſtrum alibi uel extra parochiam confeſſus accedat ad ſacram communionem, niſi prius portet cedulam recognitionis, quod ſit confeſſus.* Poſito hoc Caſu quaeritur, utrum id licite faciat, aut facere poſſit? *Reſpondetur negatiue et dicitur, quod prefatus Sancti Martini rector hoc probibitorio precepto contra uniuerſalem eccleſie conſwetudinem, contra ipſa canonica iura contra mentem doctorum in eccleſia dei acceptiſſimorum, contra determinationem cuiusdam iuris diuini monarche et huius dyoceſis aliquando vicarij digniſſimi* (qui infra *Leonhardus Geſsel* adpellatur) *in preiudicium ipſorum fratrum magnum, in ſingulare grauamen populi, et cunctis in maximum ſcandalum iniuſte et inique utitur.* Quae Adſerta ſingula ſuis deinceps rationibus fulciuntur, contra quas tamen etiam hodierna praxis militat. Ceterum ſacros Curiones in tuendis juribus ſuis, praeſertim poſt inductos Mendicantium Ordines, non ſemper modum tenuiſſe, eccleſiaſtica et maxime *Galliae*, docet Hiſtoria. Conſilium ſuum etiam hic iracundius paullo concludit Noſter: *Ergo ſecuris ad radicem huius arboris ponenda eſt, uel ſaltem eradicandus et in ignem mittendus.* Quis, amabo? Rectorne S. *Martini?* Non ſane *Radix* aut *Arbor*, quibus feminino genere utimur. Utrique Conſilio ſubſcripſit: *Hec cum proteſtacionibus in ſcolis theologorum conſwetis* &c. An e *Tubinganis* Profeſſoribus fuit?